



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Univers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prave
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

5. Cuius sit facultatem dare, qua Beneficarii à suis Ecclesiis absint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

cuiuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse.

Decimo quaeritur, An in Parochis ad absentiam duorum mensium, necesse sit, ut facultas ab Episcopo impetretur? Nauarrus in *Manuali* cap. 25. num. 121. negat eam requiri: vult enim ad absentiam ultra duos menses necessarium esse facultatem ab Episcopo datam, sed ad duorum tantum mensium absentiam, causam sufficere, quae ipsi Parocho bona fide iusta esse videatur. Id tribus argumentis concludit. Primo; quia id iure antiquo permittebatur, ut colligi videtur ex cap. *praesentium*. 7. *quasi*. 1. quod correctum, aut sublatum non est. Deinde, quia Episcopo, qui auctoritatis legis vinculo tenetur, id concedit Concilium. Postremo, quia Concilium ait in hac parte seruandum esse in Parochis, quod in Episcopis. Alii tamen oppositum sentiunt, quibus videtur eam sententiam esse contra Glossam in cap. *Si quis in Clero*. 7. *quasi*. 1. dicentem, posse Clericum abesse à sua Ecclesia per tres Hebdomadas, vel per duos menses, dummodo ab sit licentia superioris. Et cum ipsius Concilii Tridentini verbis nequaquam congruere: ait enim Synodus, *Discedendi licentiam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa in scriptis, gratisque concedendam non obtineant*: ergo videtur Synodus decernere, etiam licentiam recedendi ad duos menses dari debere Parochis ab ipsis ordinariis locorum, quamvis ad eam dandam grauis causa non requiratur, & sine scripto ea concedi queat. Mihi sententia Nauarrus probabilis videtur: nam absentiam ad duos menses tantum, modicum esse Concilium iudicauit: & quod modicum est, Canones, & leges pro nihilo reputant.

Quaeritur, num iure antiquo ad modicum tempus possit Parochus abesse absque vello Episcopi consensu? De hac quaestione legenda est Glossa in cap. *praesentium*, §. cap. *Si quis in Clero*. 7. *quasi*. 1. §. cap. *Quoniam*, ut licet non constet a. in verbo. *Canonibus definitum*. Ioannes Selua, de *beneficiis* parte 4. *quasi*. 6. num. 13. ait licitum fuisse ab duas, vel tres Hebdomadas abesse: & citat Hostiensem, Ioannem Andream, & Abbatem, eo quod modicum pro nihilo leges, Canones, & iura habent. Is item, qui breui est rediturus, non iudicatur, aut abesse, aut recedere: quia Parum pro nihilo reputatur. Quare videtur Concilium Tridentinum quo diximus loco declarasse, quantum absentiae tempus pro modico, & proinde pro nihilo habeatur, nimirum in Parochis, ac ceteris beneficiariis curam animarum habentibus, trium Hebdomadarum spatium, ut habetur in cap. *Si quis in Clero*. 7. *quasi*. 1. vel ut dicitur in cap. *praesentium*, ead. causa, §. *quasi*. duorum mensium tempus: in Episcopis, & ceteris superioribus, qui pluribus & grauioribus curis, & negotiis detinentur, trium mensium spatium. Et vtrumque tempus ait Concilium, singulis annis siue continuum, siue interruptum accipiendum esse.

Quaeritur postremo, An quando subita necessitas occurrat, qua nec Parochus Episcopum adire queat, nec Episcopus Papam, vel Metropolitanum, facultatem impetrandi causa, fas sit vtrique abesse, absque superioris consensu? Respondet Ioannes Selua ex Hostiensis, Ioanne Andream, & Abbate, licere abesse, quoniam subita necessitas, cum grauis sit, moram non patitur, Præterea Synodus Tridentina sessione 23. cap. 1. in Episcopis excipit, cum absentia incidit propter aliquod munus, & reipublicae officium Episcopatus adiunctum. Cuius, inquit, absentia, quoniam causa sunt notoria, & interdum repentina, ne eas quidem significare Metropolitanis necesse erit. Et tandem Synodus concludit: *Ad eundem tamen Metropolitanum cum Concilio Prouinciali spectabit indicare de licentia à se, vel à Suffraganeo datus: & videri, ne quis eo iure abutatur, & ut poenis Canonice errantes puniantur.*

C A P. V.

Cuius sit facultatem dare, qua Beneficiarius à suis Ecclesiis absint.

Primo quaeritur, An non solum ad Romanum Pontificem, sed etiam ad Episcopos, & alios inferiores locorum ordinarios spectet, iuris rigore laxato, potestatem facere, ut aliquis Beneficiarius à sua absint Ecclesia? Respondeo, huiusmodi facultatem, & à iure, & à Papa, & ab Episcopo aliquando concedi. In primis ius ipsum commune concedit Parochis, & ceteris curam animarum habentibus, ut liceat abesse ad quinquennium, dum Theologiam in aliqua Academia publice docenti Magistro operantur, cap. *de Magistris*, §. cap. 2. de *privilegiis*, in sexto. Idem iuris est, cum quis iuri Canonico studet, ut supra dixi, & id Archidiaconus, & Panormitanus annotarunt. Eodem item capite conceditur facultas, ut absint toto tempore, quo publice in Scholis studii literarii generalibus Theologiam docuerint, aut ius Canonicum, ut communis habet opinio. In his igitur duabus causis, ut Syluester, & Nauarrus obseruauerunt, & iam ante dixi, necesse non est vllam aliam facultatem, ab ordinariis impetrare, vel petere, siquidem eam ius ipsum commune concedit: dummodo relinquatur Vicarium idoneum ab ordinario approbandum, cum debita mercede assignatione. Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 1. §. cap. *Cum ex eod. de elect.* in sexto, §. *Porro*. Episcopos, ac ceteros superiores totus Papa potest residendi obligatione, & lege solueret: Episcopus vero potest Parochis, ac ceteris beneficiariis curam animarum habentibus facultatem concedere, ut ratione studii literarii absint ad septennium, cap. *cum ex eo, de elect.* 6. & cap. *Relatum, de Cleric. non residen.* vbi dicitur sic: *Nisi forte de licentia suorum Pralatorum.*

Item, Papa potest facultatem dare ex causa iusta, & debita, ut Beneficiarius perpetuo absint ab Ecclesia, Episcopus vero eam facultatem dare non potest, sed ad tempus, ut dicitur in cap. *licet Canon, de elect.* in 6. §. cap. *Relatum, de Cleric. non residen.* At Papa nihilominus dare non solet licentias absentiae perpetuae, ut Glossa annotauit in cap. *Licet Canon, de elect.* in 6. in verbo (*Ad tempus*) & colligitur ex c. *ult. de rescript.* in 6.

Secundo quaeritur, An idem iuris, & potestatis habeat in hac parte Rom. Pontif. Legatus in Prouincia sibi demandata, quod Episcopus? Respondeo, habere. Sic Ioannes Selua Par. 4. de *benef.* q. 9. quod idoneis argumentis confirmat.

Tertio quaeritur, An Collegium Canonicorum sede vacante possit facultatem, siue licentiam concedere, quam dare possit Episcopus? Respondeo, cum eodem auctore parte 4. *quasi*. 13. & cum Abbate in cap. *Relatum, de Cleric. non resid. versicul.* Sed hic quaeritur, posse: quia in iis, quae sunt iurisdictionis non voluntariae, sed necessariae, potestas Episcopi transit ad Canonicorum collegium, cap. 1. de *inst.* in 6. §. *Glossa Clem. 1. de heret. D. D. in cap. *transmissam, de elect.* §. cap. 1. §. 2. de *translat. Episcop.* §. cap. *cum olim, de maiorit. & obed.**

Quarto quaeritur, An locorum ordinarii inferiores Episcopo, facultatem dare possint Parochis, & aliis beneficiariis curam animarum habentibus recedendi à suis Ecclesiis ad tempus aliquod? Respondeo, eos posse. *Abb. in c. Relatum, de Cleric. non resid. num. 4. Innocent. Hostiens. in eod. capitul. Relatum, de Cleric. non resid. & colligitur ex cap. Licet Canon, de elect. in sexto, in verbo, ordinarius, vbi dicitur: Super residentia vero, ut praemittitur, facianda possit ordinarius, gratiam dispensationis ad tempus facere: nomine ordinarii intelligitur superior siue Episcopo maior, siue minor, ut ibi, ait Glossa. At in Concilio Trident. sessione 23. cap. 1. statutum est, ut si abesse debeat, qui beneficium cum cura animarum habet, id faciat, causa prius per Episcopum cognita, & approbata. Item superior Episcopo minor*

facul-

facultatem dare non potest, vt Parochus ratione studii licentarii absit ad septennium. *Glossa in capitul. licet Canon, in verbo, ordinarius. Et cap. cum ex eod. in verbo, Episcopi, de elect. in sexto, quia in eod. cap. cum ex eo. facultas dispensandi in huiusmodi casu conceditur Episcopis, & aliis Episcopo superioribus. Item priuare Clericos beneficiis non possunt inferiores Episcopo, eo quod sine ipsorum facultate ex iusta causa impetrata absint ab Ecclesiis: huiusmodi enim pœnam irrogare, solius est episcopi, cuius est iure communi beneficia conferre. *Abb. in cap. pen. de Cleric. non resid. Ioan. Sclua de benef. par. 4. q. 10. Idem quoque Abbas in e. Relatum, de Cleric. non residen. num. 4.**

Quinto queritur, An liceat beneficiario sine licentia ab ordinatione impetrata, abesse ab Ecclesia iustam aliquam ob causam? Respondeo, vt hoc ei liceat tura conscientia, duo esse necessaria: Primum, iustam causam, & legitimam, sine qua vel Episcopus quidem ipse licentiam dare non potest, etiam ad tempus, cum ordinatione fas non sit ab eodem iusta causa iuris communis rigorem laxare, *cap. Dilatus, de tempore ord. Et Glossa, cap. ult. de haret. in 6.*

Alterum est: vt etiam si iusta causa subsit, ordinarius facultatem concedat, nisi ipsum ius eam omnino dederit: siquidem necesse est, vt ipsum ius commune aliqua ex parte relaxetur, & remittatur; relaxari autem non potest nisi potestate superioris, ad eam rem ius, & potestatem habentis, *cap. Dilatus, de temp. ord.*

Sexto queritur, An cum Papa Beneficiarium soluit Canone, & lege residendi, sine iusta, & debita causa, ea iuris relaxatio sit tuta, & rata secundum conscientiam? Respondeo, distinguendo in hunc modum: Quando cunque Beneficiarius omni animarum cura caret, nec praxice Ecclesia indiget ipsius ministerio, opera, vel industria, quia non desunt alii, qui suppleant, licite vt potest relaxatio iuris à Papa sine causa iusta impetrata: eo quod tunc in beneficiis cura animarum liberis residere quidem Beneficiarii Canonico iure, non diuino, vel naturali coguntur: veruntamen huius iuris rigorem si ad nuntium suum, nulla iusta ex causa Papa remittat, rata est, & firma iuris relaxatio, siue peccet Pontifex, siue non: quod si Beneficiario cura animarum insit, tunc si citra debitam, & iustam causam Pontifex recedendi ab Ecclesiis licentiam, siue indulgentiam concedat, etiam ad tempus, non est tuta, & rata secundum conscientiam ea iuris relaxatio, ob eam causam, quam supra attulimus, quod dicti Beneficiarii iure diuino in suis Ecclesiis debeant esse presentes, at naturalis, vel diuini iuris rigorem Papa remittere, sine iusta causa non potest, vt est communis opinio, quam habet *Sot. lib. 10. de iust. q. 3. ar. 4. & in eum sensum accipio, quod dicit Syluester in verbo (Residentia) questio. 2. dispensationem sine iusta causa, esse dispensationem Ecclesie. Dispensatio autem hæc in iure diuino intelligatur per materiam mutationem, vt in voto, & iuramento fit.*

Septimo queritur, An quando datur alicui Parochi facultas vt à sua absit Ecclesia ad tempus, debeat Vicarium in sui locum sufficere, qui inseruiat Ecclesie? Respondeo, debere: quem proinde Vicarium oportet esse auctoritate ordinarii approbatum cum beneficium est Parochiale, vel curæ animarum coniunctum: eique ex beneficii fructibus assignanda est portio qua valeat honeste sustentari, *c. extirpanda, §. Qui vero de prob. Concil. Trident. sess. 23. c. 1. de reformat.*

Octauo queritur, An qui cum legitima facultate abest ab Ecclesia sua, licite beneficii fructus accipiat? Respondeo, distinguendum esse: aut facultas recedendi ab Ecclesia ad tempus datur alicui ex causis iure communi concessis, & tunc Clericus beneficii fructus lucratur: vt cum abest ratione literarii studii in Theologia, vel iure Canonico, *cap. 2. de priuileg. in 6. Et cap. ult. de magist. vel abest, quia Papæ inseruit eius iussu, cap. Cum dilectus, capit. ad audiendam, cap. de catero de Cleric. non residen. Vel quia iussu inseruit suo Episcopo, cap. Ad audiendam, cap. de catero, super allatis, vel quia inseruit legato in iis, quæ attinent ad*

provinciam ei demandatam: vel Cardinalibus præcepto eius, qui potest id imperare. *Ioan. Andreas, Hostiensis apud Syluestrum, verbo, residentia questio. vel abest, quia vbi sunt studia generalia publice docet, & tunc quamdiu docet, fructus beneficii facit suos, cap. ult. de magist. cap. 2. de priuileg. in sexto, vel abest, quia ægrotat, & alio qui consueuerat in sua Ecclesia adesse: nam si solitus erat abesse ab Ecclesia, cum valebat, sibi fructus non acquirit. *Ioan. Andreas in cap. Ad audiendam, de Cleric. non residen. Vel abest, quia iustus est gerere negotia Ecclesie generalis, vel suæ, capit. ex parte, de Cleric. non residen. Et cap. Cum dilectus, ad finem, Et cap. Ad audiendam, ad finem, eod. tit. Vel cum abest, quia nauat operam præcepto, vel licentia sui Episcopi, literis quibuslibet, vt Grammaticæ, Philosophiæ, Dialecticæ, iuri ciuili, & aliis similibus, vt colligi videtur ex cap. 2. de priuileg. in 6. in vltimis verbis, Et ex cap. cum ex eo, de elect. in sexto. vbi conceditur Episcopo, vt possit dare licentiam, qua quis absit vsque ad septennium à sua Ecclesia, ratione studii literarii. Aut abest Clericus causa sui commodi, vel sui negotii gerendi, & tunc absens, fructus non facit suos, etiam si absit licentia ab Episcopo impetrata, & ex causa licita.**

Quæres, An Canonicorum statutum, vt ij, qui in studio literarum versantur, beneficii fructus non percipiant, vim, robur habeat. Respondeo, ex *Glossa in cap. 2. de priuileg. in sexto, in verbo (Integro)* distinguendo: Aut student Theologiæ, vel iuri Canonico, aut Ciuili, vel alteri disciplinæ, vt Grammaticæ, Dialecticæ, Philosophiæ. Si Theologiæ, nullus est momenti statutum, quia Canonici statuta contra ius commune concedere nequeunt, *Et in cap. ult. de Magist. Ius ipsum concedit, vt Beneficiarii, quicunque sint illi, possint ad quinquennium Magistris in publicis generalium studiorum locis Theologiam docentibus operam dare, & eandem rationem supra dixi esse de iis, qui in studio iuris Canonici versantur. Si vero aliis disciplinis studeant, statutum stat, & vim habet.*

Aliis vero videtur, in vniuersum id statutum non valere, quia in *cap. Relatum, Et cap. tue, de Cleric. non residen.* iusta causa censetur: vt Beneficiarii propter quarumvis literarum studium, possint ab Ecclesiis abesse. Fateor quidem posse eos Episcopi licentia abesse: sed non indebit, vt fructus lucrantur absentes, cum priuilegium, statutum, vel consuetudo impedit ne lucrantur. Quod si nihil horum obtulerit, tunc Episcopi auctoritate absentes causa studii literarii, fructus faciunt suos. Porro fructuum appellatione, non intelliguntur distributiones quotidianæ, nec alia itidem portiones, quæ dari non solent nisi iis, qui diuinis officiis presentes interunt. *Glossa in cap. 2. de priuileg. in sexto, in verbo (Integro)* hæc enim non dantur nisi iis, qui diuinis officiis presentes interunt, *cap. 1. de Cleric. non residen. in 6.*

Nono queritur, An cum Beneficiarius legitima facultate duo obtinet beneficia, quorum vtrumque assiduum Clerici presentiam requirit, eo ipso facultatem habere credatur, vt in eorum vno Vicarium in sui locum substituat? Respondeo, eum habere facultatem. *Glossa in cap. Quia in tantum, de proben. in verbo, Plures.* Et est sciendum, à Pio V. editam esse constitutionem, huius initii (*Cuspientes*) vbi statuit, eum, qui Parochialem Ecclesiam, vel aliam curæ animarum coniunctam, simul, & Canonica-tum, vel dignitatem quamcunque habet, in ipsa Ecclesia Parochiali, vel cui cura animarum inest, commorari presentem esse debere: & nihilominus ex Canonica-tu, vel dignitate fructus lucrari, distributiones quotidianas non item. Quæ constitutio in iis locum habet beneficiis, qui beneficia ante Concilium Tridentinum legitime obtinuerunt: nam ipsum Concil. *Sessio 7. cap. 4. de reformat. prohibet: quo minus quis ea deinceps simul habeat.*

(:)